DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

CAUSIS MORBORUM HYDROPICORUM,

RATIONEQUE IIS MEDENDI,

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
CAUSIS MORBORUM HYDROPICORUM,
RATIONEQUE IIS MEDENDI,
COMPLECTENS;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES ARMSTRONG,
ANGLUS,
CHIRURGUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.
VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
1807.

VIRO REVERENDO,

GUALTERO BUCHANAN, SS. T. D.

ECCLESIÆ CANONICORUM VICI EDINBURGI,

MINISTRO FIDELISSIMO;

SACRIS VIRTUTIBUS

ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

ÆQUE ORNATO:

OB MONITA ET CONSILIA EJUS AMICISSIMA;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

SACRAS VULT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 11. lin. 14. *pro* inflammationes *lege* inflammationibus
— 12. — 23. *post verbum* etiam *lege* hacce
— 15. — 17. *pro* moderatus *lege* moderatius
— 25. — 9. *pro* sub-muriate *lege* sub-muriati

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

CAUSIS MORBORUM HYDROPICORUM,

RATIONEQUE IIS MEDENDI,

COMPLECTENS.

AUCT. JOANNE ARMSTRONG.

In hac dissertatione medica inaugurali, de Causis Morborum Hydropicorum, qui genus humanum frequentissime adoriuntur, animus fert disserere ; dein remedia, quæ his morbis aut levandis aut curandis plurimum valent, in medium proferam.

Fluido tenui pellucido, vasis, exhalantibus dictis, secreto, corporis cavitatum singulæ semper humectantur : series vasorum altera quibus absorbentibus nomen est, in statu corporis sano æque ac exhalantia, quod ad vires

in iis insitas, pollet. Rebus ita sese habentibus, ne fluidum hocce morbose accumuletur, Natura bene curat, quippe quia, humor illis exhalatus, his perpetuo absorbetur. Sin autem ex quacunque causa liquoris supradicti copiam solito majorem exhalantia effundant, sive actio absorbentium minuatur, fluidum morbose accumulatur, congestuique ejusmodi Hydrops nomen est.

Hydropis species tres medici auxilium utpote postulantes, enumerandæ veniunt, Anasarca videlicet, quum in telam cellulosam fluidum effunditur; Ascites, quando in cavitate abdominis continetur; Hydrothorax, quando in pectore aqua fluctuat.

Corpori conditio specialis inest, quæ *diathesis hydropica* vulgo nuncupatur. Diathesis hæcce a debilitate fibræque animalis laxitate; quibusdam vero in exemplis a fluidorum tenuitate morbosa, pendere videtur. Diathese ejusmodi laborantibus, facies plerumque pallida est; oculi haud raro debiles evadunt, lachrymasque nonnunquam parcius fusiusve effundunt; frigore applicato, partes vicinæ leviter sæpe intumescunt; labia etiam

haud raro colorem subcœruleum purpureumve induunt; cutis et mollis et lævis fit; caro laxa spongiosaque; arteriarum pulsus maxime languent; lymphaticaque in partem debilitatis generalis facile veniunt; vasa hæcce in hydrope plurimum debilitari methodus, qua anatomici absorbentia hoc morbo defunctorum præparant, satis superque docet; valvulis etenim harum aut parum aut nihil renixus facientibus, hydrargyrus per ea, motu retrogrado, facile propelli potest.

Ob compaginem corporis molliorem vitamque inertem fœminæ, plerisque scriptoribus judicibus, maribus hydropi opportuniores sunt; veruntamen medens clarus *, homines Ascitæ fœminis obnoxiores esse, nos certiores facit. Proclivitas autem hæcce ab intemperantia, quod ad spirituum ardentium usum cui homines sæpius dediti, me judice, pendet. Morbus de quo agitur, provectiores ætate sæpius adoritur; juniores veruntamen ab impetu ejus minime semper immunes vivunt. Infantes etiam morbis hydropicis interdum, (hydroce-

---

* Vide BAILLIE's Morbid Anatomy.

phalo potissimum), laborant. Eoque magis periclitantur, quo parentibus infirmis, viresque corporis fractis, nati sunt; hinc ratio patet quare, quibusdam judicibus, proclivitas specialis hæcce a parentibus ad liberos deduci potest, haud secus ac corporis formam animique indolem a majoribus nostris, nepotes mutuamur.

Artifices literarumque studiosos, morbi hydropici frequentius tentant; propterea quod, causis aliis nullis instantibus, vita sedentaria corporis vires pedetentim subruit, idque hydropi obnoxium reddit. Morbi chronici, potusque inebriantis abusus, hydropes curatu difficillimos tandem gignunt. Ebriosos præ aliis huic morbo obnoxios esse, aciem mentis SYDENHAMI sagacissimi minime fugit: de quibus etiam CELSUS modo sequente dudum disseruit: "Ideoque non ignobi-
"lis medicus, CHRYSIPPI discipulus, apud
"ANTIGONUM regem, amicum quendam ejus,
"notæ intemperantiæ, mediocriter, eo malo
"implicitum, negavit posse sanari."

Pathemata animi deprimentia, diæta et parca et aquosa, cœlum frigidum humidumque,

inter causas morborum hydropicorum prædisponentes, jure recensentur.

Causas excitantes in tria capita digerere, Debilitatemque, Obstructiones, et etiam Inflammationem in crimine ponere, et lubet et forsan juvabit. De his igitur causis hydropis excitantibus diversis, ordine disserere pergam.

Morbi chronici diversi, morbi etiam vigorem corporis subito frangentes, ad hydropem inducendum plurimum valent. In regione hâcce, febres intermittentes diu perstantes, hoc malum haud raro gignunt. In hoc statu rerum, hydrops, a debilitate sola, morbis præcedentibus orta, sæpe pendet; sæpius veruntamen viscerum obstructiones ad hydropem multo periculosiorem reddendum conferunt. Spirituum ardentium usus et immoderatus et perniciosus, sive corpus debilitando, sive læsionem organicam quandam inducendo, sive denique conditiones hasce et unam et alteram producendo, effectus eosdem præstare videtur. Dysenteria, scarlatina, amenorrhœa, occasione opportuna data, hydropem inducere facile queunt.

Ad hydropem excitandum, hæmorrhagiæ, evacuationesque aliæ profusæ, utpote valent. Detractiones ejusmodi in hominibus, ne prædispositis quidem, hydropem gignere possunt. Siquando sanguis copiosius effundatur, serum multo citius ac cruor restituitur; hinc, vena justo frequentius pertusa, plenitudinem suam pristinam vasa facile recuperant, ægri veruntamen et pallidi et languidi debilitate diu laborant. Asthenia generale hoc modo inductâ, serum per arteriarum ramos extremos ad effugiendum proclive redditur; dum absorbentia, quodammodo oppressa, accumulationem ejus facile permittunt *. Sanguinis jactura nimia in hæmorrhoidalibus, in menorrhagia, aliisque in morbis, eosdem explicatus habet.

Anasarca, in corpore prædisposito, ex aqua in ventriculum uberius sumpta, viam transpirationis per cutim obstruente, originem ducere potest; Phænomenonque hocce, libris octo fluidorum quæ per urinam cutisque transpirationem, singulis diebus, excerni necesse est,

* Audi Præl. Prof. Gregory.

rite perpensis, mirum nobis videri non debet: hujus etenim quantitatis dimidium in corpore retentum, ad hydropem inducendum, satis superque valeret; sanitate veruntamen integrâ, effectui hujusmodi vis medicatrix naturæ occurrit atque obstat, copia videlicet transpirationis per cutim minuta, secretio urinæ augetur, viceque versa. Res ita se habere, thermis Bathonicis et Buxtoniensibus, aquarumque mineralium magnitudine, partibus Britanniæ Magnæ aliis, et sanis et infirmis, sine periculo, quotidie hausta, facile probatur. Sin autem aliquis aqua se ingurgitaret, secretionibus, aut per organa urinifera, aut per cutim, non ratione debita auctis, procul dubio in hydropem incideret *.

Homines qui per regiones paludosas itinera longa faciunt, qui imbribus madent, quique haustus aquæ frigidæ liberiores sumunt, hydrope haud raro implicitos esse, HIPPOCRATES dudum observavit. Principis medicorum sententiam exemplis haud paucis ratam habemus; hominesque defatigati utpote, qui vel

* Audi Præl. Prof. GREGORY.

sub dio madidi requievere, vel aquam frigidam largius hauserunt, judicium HIPPOCRATIS iterum iterumque palam fecerunt.

Evacuationum solitarum suppressio, mensium videlicet fluxus obstructus, sanguinis detractionis consuetæ prætermissio, fonticulorum, ulcusculorum desiccatio subita, inter causas hydropis excitantes, in illis potissimum, quibus, vitam sedentariam degentibus, corpora plethorica laxaque sunt, jure enumerandæ veniunt.

Sub capite hydropis causarum hocce, etiamsi alibi forsitan rectius, rupturas partium quarundam collocare lubet: chylo, ductu thoracico rupto, in pectus effuso, symptomata hydrothoracis omnia supervenerunt. Species Ascitæ, lactea videlicet, ex eadem causa originem ejus duxit; morbusque nonnunquam ita increverat, ut medicus præsidium a paracentesi abdominis petere coactus fuerit. Vesica urinaria ruptâ, ansas Ascitæ etiam dedit *.

---

* Vide Dr. D. MONRO on Dropsy; et Philosoph. Mag. ix. 16.

Morbi veruntamen de quibus agitur, ex causis ejusmodi rarissime pendent.

In morbis hydropicis ab OBSTRUCTIONIBUS pendentibus, res quædam propriæ, sanguinis scilicet venosi ad cor redeuntis mora, vasorumque partis exhalantium actio nimis aucta, ad effectum inducendum conferunt. Rationes phænomenorum quæ in duritiis schirrove hepatis nobis ante oculos versantur, theoria obstructionum generalis facile aperit; cadaveribus etenim sectis, viscus hocce in hydrope defunctis, durum densumque sæpius invenitur; obque materiæ et solidæ et duræ quantitatem in substantia ejus accumulatæ, forma hujus organi parenchymatosa vel pene vel prorsus deletur *. Quantitate sanguinis insigni ab hepate ad cor reducti rite perpensa, mirari desinemus, hujus visceris duritiem, transitu sanguinis libero impedito, viscerum abdominalium aliorum exhalantia protinus stimulare, modo quo fluidum uberius effundant, absorbentiaque ad munus suum fungendum parum idonea reddantur. Speciem hy-

* Vide SAUNDERS on the Liver.

dropis hancce ex jecinore obstructo solum oriri, diathese nimirum hydropica hebdomadas complures post Ascitæ accessionem sese ostendente, insuper observandum est. Verum enimvero, crura, vel ob pressuram fluidi cavitate abdominis contenti in venam cavam ascendentem, vel ob debilitatem morbo inductam, tandem intumescere incipiunt *. Sub hoc cœlo febres intermittentes, inflammationesque chronicæ, morbi fere soli qui jecinoris duritiis, originem præbent. Causa veruntamen, cœlo calido ipso forsan efficacior, spiritus scilicet meracioris ardentisque usus immoderatus, qui, si Professoris eruditissimi solertissimique verbis gravioribus uti liceat, "*is the bane of human nature, and the most* "*pernicious discovery ever made by art* †." Genera aquæ quædam illa quibus utpote durioribus vulgo nomen est, ad statum jecoris induratum gignendum plus minusve valere videntur ‡. Hydropem ab affectionibus jecoris morbosis originem duxisse HIPPOCRATEM

---

* Audi Prælect. Prof. GREGORY.

† Audi Præl. Clin. Prof. HOME.

‡ Vide CLEGHORN on the Diseases of Minorca.

minime fugit *. Viscerum aliorum obstructiones, lienis videlicet, pancreatis, ventriculi, glandularum mesentericarum, morbos hydropicos nonnunquam inducunt. De historia Ascitæ, a steatomate omenti gastro-colici pondo triginta ampliusve gravi, pendentis, clar. VAN SWIETENIUS nos certiores facit. Læsiones cordis organicæ, impedimentaque in vasis magnis ei vicinis hydrothoracem sæpius excitant; adepsque circa organum hocce morbose accumulatus effectum eundem interdum edit.

Partium membranacearum INFLAMMATIONES hydrops dirus sequitur. Inflammationes membranarum, pulmones visceraque abdominalia investientium, effusiones serosæ utpote superveniunt. Injuriam testi illatam actio inflammatoria sæpius excipit, hydrocelemque gignit. Hydrocephalus internus a cerebri inflammatione pendens infantem e medio sustulit †. Eruptiones præsertim erisepelotosas anasarca, plerumque levis nec sinistri ominis, remediisque solitis facile debellata, sequitur; quibus-

* Vide HIPP. Chart. Ed. vol. vii.

† Vide CRUICKSHANK on the Absorbents.

dam veruntamen in casibus et Ascites et hydrothorax ægrum opprimunt, attentionemque medici solertis summam sibi jure vindicant *.

Hydropis speciei cujusdam historiam auctor GRAPENGIESSER peregrinus publice juris nuper fecit, cui nomen Plethoricum imposuit, hydropemque in acutum et chronicum divisit. Plethoram corpus ad hanc speciem hydropis proclivius reddere, auctor noster strenue contendit. Evacuationumque solitarum suppressionem, exanthemata repulsa, transpirationem per cutem obstructam ventris profluviem subito repressam, inter causas speciei morbi acutæ excitantes, recenset. Speciei hydropis huicce, si experientiæ auctoris nostri fides habenda sit, sanguinis detractione antispasmodicis, diureticisque lenibus, optime succurritur. Quod ad speciem chronicam quidem attinet homines sedentarios, habitu pleno, fibra laxa, cibi appetentia bona, concoctione autem prava, gaudentes, plerumque adoritur; in monachorum igitur ædibus sibi domicilium quærit invenitque. In specie etiam medenda præsidium e missione sanguinis me-

* Audi Præl. Prof. GREGORY.

diocri sæpiusque repetita, opio diureticisque lenibus, medicum petere oportet *.

Benjaminus Rush, medicus Americanus expertus solersque, de hydrope fere idem sentit, morbum scilicet in species duas, hydropem nempe tonicum, hydropemque atonicum, dividit. His speciebus, e causis diversis dissimilibusque pendentibus, ratione diversâ, Rush judice, medetur. In regione veruntamen hâcce, species tonica hydropis medico ante oculos, aut rarius, aut fere nunquam, ni fallor, versatur; ideoque etiam si sanguinis detractio, causâ plethoram, congestumve topìcum removendi, nonnunquam indicata sit: in morbis attamen hydropicis curandis, ad evacuationem ejusmodi cautissime, habitu scilicet ægri causisque morbi accuratissime perspectis, confugiendum est.

His de causis morborum hydropicorum propositis, ad curationem eorum transeundum est.

Prius ad morbos hydropicos curandos quam nosmetipsos accingimus ad res tres, causas viz.

* Vide "Annals of Medicine."

fluidum accumulatum, ægrique habitum corporis generalem, animum advertamus oportet. Causis etenim adhuc perstantibus, curationem morbi perfectam absolvere medicus incassum conaretur. In multis veruntamen exemplis, causas hydropis prorsus removere hic labor, hoc opus est: ideoque in his affectionibus prognosis sæpius vel dubia vel incerta est: verum enimvero causas hydropis haud paucas tollere aut ægrum aut medicum penes plerumque erit. Vita scilicet sedentaria iners, otiosaque causæque aliæ debilitantes, evitandæ sunt: obstructiones nonnullæ, graviditas utpote, tempore debito, naturâ bene curante, tolluntur; hisque rite remotis, morbus etiam suâ sponte discedit. Quin et jecoris obstructiones viribus hydrargyri interdum removere possint: sed hoc semper incertum est, ut ex cadaveribus sectis apparet; nam hepata morbida species prorsus diversas præ se sæpius ferunt, vitiisque diversis laborant; vires igitur, mutationes morbosas tam graves tamque varias, corrigendi, remediis ullis singulis etiamsi eximiis, futuras esse, ne rationi quidem consentaneum est. Sequitur, ut hydrargyrus omne punctum

interdum tulerit, sæpius vero spem medici omnino destituerit; verum enimvero cum ægro adhuc spirante, conditio jecoris morbosa nobis necessarie lateat. Si viscus hocce morbosum in crimine ponere liceat, ad hydrargyrum extemplo decurrendum est; eoque magis quod remedium hocce felice exitu in auxilium sæpius vocatum fuit.

Consuetudines depravatas quasdam, spiritus ardentis usum nimium utpote, sæpe vel prorsus removeri vel corrigi posse, insuper observandum est. Stimulos attamen diffusiles ebriosis hydrope laborantibus, medicus subito interdicere caveat. Liquoris cardiaci cujusdam usum temperatum ægris potius concedat. Spiritus vidilicet ardens, rite dilutus, Anglice *Gin Punch*, moderatus adhibendus venit. Aqua vero rite expulsa, ebrietati deditis hi stimuli sensim subducantur, remediaque tonica, diæta nutriens concoctuque facilis, iis vicaria supponantur. Quin etiam causis morbi rite notis, methodus hydropi medendi, remediaque propria, in aprico potissimum erunt, e. g. Morbis hydropicis debilitate summâ stipatis, illisque ab evacuationibus profusis pendenti-

bus, usu purgantium drasticorum minime succurritur; e contrario, morbo a detractionibus solitis suppressis originem ducente, ægroque vires corporis parum fracto, cathartica potentiora, inter medicamenta efficacissima jure recensenda sunt. Præterea ad hydropem, perspiratione obstructâ ortum, curandum cathartica, diaphoreticaque interdum feliciter valent. Remedia veruntamen hæcce, in Ascite, e statu hepatis indurato pendente, debellando, vel plerumque vel semper successu carent; hydrargyro autem tempestive adhibito, symptomata sæpe multum mitigantur, morbus interdum omnino curatur.

Causis morbi rite perpensis, rationem ad cavitatem corporis fluidum accumulatum continentem, medicus dein habeat oportet. Ad liquorem in abdomine collectum eliciendum, cathartica haud raro optime valent. Aqua veruntamen in pectore fluctuante, medicus voti compos certius fiet si ad diuretica rite tempestive confugerit. Anasarcâ e meatibus cutis obstructis pendente, laborantibus diaphoretica, catharticis antea in usum adhibitis, commodo insigne interdum erunt: pro Ascite autem hy-

drothoraceve implicitis diaphoretica parum facerent. Verum enimvero hæ species hydropis diversæ in ægrum simul haud raro irruunt, ideoque methodum medendi certis limitibus circumscribere e re parum foret, quippe quæ latissime pateat.

Causâ indicationes curativas in hydrope stabiliendi, ad ægrorum ætatem, habitum, sexum, temperamentumque, medicum animum sedulo advertere oportet. In junioribus, e. g. habitu corporis pleno præditis, missio sanguinis ne semper quidem contraindicata est. Si quando hydrothorace satis manifesto cum faciei colore vel fusco vel subrubro, intumescentiâque stipato, doloribus aut acutis et jaculantibus, aut obtusis et circumscriptis, pulsu pleno et laborioso, difficultateque spirandi summâ simul urgentibus, laborarent, venam pertundere liceat. Ad fluidi vitalis detractionem caute veruntamen confugiendum est, remediique exitus semper sedulo notandi veniunt. Senibus autem infirmisque hydrope laborantibus a sanguinis detractione, medicus prorsus abhorreat, quippe quæ ægro plerisque in casibus exitio certo certius foret.

In morbis hydropicis curandis medici diutius plurimi *Diuretica* fecerunt, effectusque sane miros nonnunquam edunt, fluidum scilicet in cavitatibus corporis contentum citius fere dicto per organa urinifera viam sibi aperit; exemplis veruntamen aliis haud paucis, occasioneque eâ adhibendi opportunâ etiam datâ, expectationem medici prorsus fallunt; verum enimvero fluido, usu diureticorum quam celerrime, expulso, ad remedia tonica confugere fausto cum eventu penes medicum erit, facultate igitur datâ, medicus ea præscribat oportet. Diuretica mane plerumque sumenda sunt, propterea quod aër moderatius refrigeratus urinæ fluxui favet. Ægrotus igitur, e lecto surgens, medicamentum rite capiat: lapsis paucis post diebus, effectus optandos interdum præstabunt; interdum vero multo citius votis medici satisfacient. Hydrargyrus scillaque maritima, diureticis aliis omnibus jure anteponenda sunt. Hydrargyri submurias sub forma pilularum, dosibus scilicet granorum duorum triumve, quantitate nonnunquam opii parvâ, causâ catharsin cohibendi, additâ, indies adhibeatur: ad pilulas hydrargyri

more solito, unguentumve ejusdem metalli, drachma nimirum hujus frictione indies consumpta, confugere etiam liceat; medicamentaque continuantur usque dum os affectum fuerit. In hoc statu rerum, scilla in auxilium vocetur, remediave hæcce ambo eodem tempore adhibeantur: verum enimvero moneo ut sub-murias hydrargyri scillaque separatim adhibeantur, propterea quod conjunctim alvum violentius haud raro cient. Sub-muriatem hydrargyri vespere, scillam autem mane adhibere liceat. Scilla dosibus grani unius bis terve in die sub initio adhibenda est, doses vero sensim augeantur, donec effectus manifestos in ventriculum ediderit; dein statim omittatur oportet. Remedium de quo agitur, formâ pilularum aromate quodam, oleoque juniperi communis volatili, quantitate parvâ, commistis, præscribere lubet. Scilla maritima, alvo leniter ductâ, munus proprium sæpius feliciter præstat, secretionem urinæ nimirum paulo post plerumque rite auget.

Scriptores medici haud pauci multa de viribus digitalis purpureæ in morbis hydropicis, vel curandis, vel levandis, honorifice prædi-

cant; remedium veruntamen hocce medici spes iterum iterumque corrupuisse, mihi quidem confitendum est. Digitalis cautissime dosibusque refractis in auxilium vocari debet; propterea quod effectus ejus graviores systemate accumulantur, pulsusque arteriarum, remedio complures dies omisso, succumbere perstabunt. Rebus ita sese habentibus medicus ad remedium hujusmodi prudenter confugiat, memorque adagii, "*Nequid nimis*," ab usu ejus intemperato rite caveat: Ventriculo pulsuque effectibus digitalis laborantibus, ab usu ejus protinus abstineat. Digitalem organa urinifera rarius stimulare, nisi in systema absorbens effectus cito ediderit, notatu dignum est; ideoque nec tute, nec prudenter, me judice, diutius adhibenda est. In omni hydropis specie digitalis minime æque valet; in hydrothorace sæpius ac in aliis prodest. Sub forma vel pilularum vel decocti, vel etiam tincturæ, pro medici arbitrio, præscribitur. Infusi Pharmacopœiæ Collegii Edinburgensis semiunciam æger bis in die sumat, dosesque pro re nata sensim augeantur: pilularum singulæ ex grani dimidio constare debent,

quarum unam mane, alteram vespere, ægrotus capiat. Tincturæ guttæ decem pro dosi sumendæ sunt. Haustu ex æthere nitroso composito simul sumpto, et vires digitalis diureticæ augentur, et effectibus ejus in ventriculum plusve minusve occurritur *. Pulvere ipecacuanhæ cum opio, scilla maritima, sub-muriateve hydrargyri cum ea conjunctis, vires digitalis plurimum etiam augentur. Quod ad modum digitalis operandi in morbis hydropicis quidem pertinet, in caligine adhuc versamur, nec phenomenon hocce enodare conabor: "Quid radix Aristolochiæ ad morsus serpen-"tum prosit, video, quod satis est, cur possit, "necio †."

Vires super-tartritis potassæ diureticæ diu medicis fere omnibus decantatæ sunt; nec, si mens me recte moneat, experientia ullum detrimentum existimationis fecit, ideoque medicamentis supra enumeratis locum proximum merito forsan tenet, ne hunc digitali anteponere me saltem quidem piget, quippe qui et periculi expers prorsus sit, et in auxi-

* Audi Præl. Prof. Home.

† Cicer. de Divinatione.

lium semper adhibere possit, medicisque peritioribus quibusdam judicibus, urinæ fluxum plerisque in casibus ad votum auget *. Salem huncce ad drachmas quinque sexve, in aqua solutum, in auxilium partitis vicibus vocare liceat: huic remedio, in electuarii forma, medici nonnulli arrident. Prius effectus in renes quam præstat supertartris potassæ, alvum plerumque leniter solvit.

Diureticis sæpe incassum adhibitis ad usum cathartici commode, ni fallor, confugiendum est, quippe quod diuretica efficaciora, digitalem utpote, sæpius reddat.

Nicotianam tabacum, medici experti complures nobis, in morbis hydropicis curandis, commendant, nec me pœnitet eorum sententiæ esse qui monent, ut ad usum nicotianæ in his affectionibus frequentius confugiendum sit. Sub vini nicotiani forma medici solertis auspice, tutissimo adhibere potest.

In morbis hydropicis a debilitate solummodo pendentibus, hyper-oxymurias potassæ

---

* Vide Clinical Exp. Fran. Home, M. D. et Med. Hist. et Reflect. J. Ferriar.

pro ægris multum fecit; dosibus granorum trium in aqua solutorum, bis indies primum adhibeatur, quantitateque fluidi ad salem solvendum necessarii rite auctâ, dosis pro re nata augeatur *. Electricitatis, viribus stimuli generalis sane gaudentis, usum medici quidam approbant; alii autem de viribus nitratis acetitisque potassæ, muriatis etiam acetitisque ammoniæ, salium mediorum aliorum diureticis commemorant. Astringentia vegetabilia ob acidum gallicum, quod in iis inest, diureticorum munera etiam præstant.

Diuretica, etiamsi potentiora, renes sine liquidorum auxilio vix ac ne vix quidem excitare possunt; ideoque sequitur, ut ad usum eorum hic loci animum advertamus.

Urinæ quantitas per spatium certum secreta pro liquidorum haustorum ratione, major minorve plerumque evadit. Cutis veruntamen conditio, substantiæ in aqua solutæ, atmosphæræ circumabientis temperatura, legi huicce modum adhibere possunt. Quantitatem haustam cum quantitate renibus reddita

---

* Audi Præl. Prof. Home.

medicum semper comparare oportet: symptomataque vel mitigata vel graviora facta, cura eadem notanda veniunt. "Neque alienum "est, ait Celsus, metiri et portionem ejus et "urinam, nam si plus humoris excernitur, "quam assumitur, ita demum secundæ vale-"tudinis spes est;" si igitur urinæ redditæ copia liquidorum assumptorum modum, ratione transpirationis per cutem rite habitâ, non transeat, a diureticis præsidium petere, medicum cessare oportet.

Acida cum aqua commista in usum plerumque adhibentur: horum autem præstantiora supra recensuimus. Alcohol rite dilutum, æthereque oleisve volatilibus, oleo juniperi communis utpote, mistum, urinam optime movet. Pocula vinorum, Rhenarorum potissimum, ob copiam acidi quod in iis inest insignem, medici quidem hydrope laborantibus administrant; verum enimvero haustus hujusmodi, diathese phlogisticâ systematis nullâ adstante, solummodo sumendi sunt; debilitate autem urgente, diuretici cardiaci haustus, pro ægro multum faciunt. Aquæ minerales ob vires suas diureticas magni habentur, at de virtuti-

bus eorum fusius hic loci disserere supervacaneum foret.

Verum enimvero remediis diureticis sæpe aut incassum adhibitis, aut lentius agentibus, medicamenta efficaciora in auxilium haud raro vocanda sunt: hinc in morbis hydropicis quibusdam curandis cathartica plerisque medicis magni sunt, purgantibusque drastioribus sub-muriate scilicet hydrargyri, convolvulis jalappæ scammoniæque, etiam gambogioidi, potissimum arrident. Super-tartris potassæ, plenis dosibus adhibitus, inter cathartica præstantissima jure habendus est.

JOANNES FERRIAR, M. D. et eruditus et expertus, gambogiam cum æthere nitroso conjunctam, dosibus scilicet granorum quatuor illius, drachmarumque hujus duarum, fausto cum eventu in hydrope sæpius adhibuit. Catharticis in usum vocatis dejectiones primæ formam naturalem induunt, sequentes autem copiosiores et liquidiores evadunt. Purgantibus brevi adhibitis, ægri ex usu eorum haud multum commodi capient, sin autem duos

tresve dies continuantur ægrotis sæpius haud parum proderunt *.

Cathartica veruntamen diutius adhibita, corpus male debilitare confitendum est, ideoque experimentis de eorum virtutibus rite, at frustra, factis, omittantur oportet. Cathartica anasarcam facilius ac speciem hydropis ullam aliam sanant; idcirco quia huic morbi speciei forsan facilius succurritur, ascitem sæpius quam hydrothoracem, absorbentibus videlicet abdominis ob situm eorum promptius forsitan stimulatis, curant †.

Jacobus Hamilton senior, Edinensis medicus expertissimus, se ope catharticorum tumoribus hydropicis scarlatinam secuturis efficacissime, aut occurruisse, aut jam formatos minuisse, in libello suo eximio nos certiores facit ‡.

Hydrope laborantium intestina plerisque in casibus admodum torpent, modo quo doses catharticorum solito majores, ad alvum excitandam, vix ac ne vix quidem valent. Canalis

---

* Audi Præl. Prof. Gregory.

† Audi Præl. Prof. Home.

‡ Vide "Observations on Purgative Medicines."

alimentarii torpor hicce e cerebri compressione interdum, in hydrocephalo interno potissimum, pendere videtur; interdum autem torpor intestinorum causas ejusmodi minime agnoscit. In exemplis nonnullis jecinore utpote indurato, secretionem bilis imminutam vituperare liceat. Quin et fluidis corporis quibusdam in morbis hydropicis, a cursu suo naturali abductis, pars liquoris mucosi, qui superficiem intestinorum internam humectat, aberrationi eidem subjici, hocque modo alvum constringere possit.

Emetica systematis absorbentis vires potissimum excitant, hydropeque laborantem vomitus spontaneus sanum fecit. Tumores hydropici ope horum remediorum eâ celeritate interdum evacuantur, ut æger fasciis ad partes depletas sustinendas sane egeat. Quoniam veruntamen hydrope laborantes, ab usu emeticorum diuturniore sane abhorreant; quoniam remedia hæcce levamen perpetuum, aut rarius aut nunquam præbeant; quoniam relaxationem virium maximam sæpe inducant, in his morbis curandis ad ea rarius decursum est. Si ægrotis levamini debito ne cito qui-

dem sint, ea medicum omittere oportet. Emetica mitiora, scilla maritima utpote, dosibus refractis, adhibita, violentioribus anteponenda sunt, doses ejus sensim augeantur usque dum nausea vomitusque inducantur. Sunt qui eodem concilio navigationem laudant. Præsidium e tonicis stimulantibusque in intervallis petere liceat.

Si scriptorum quorundam historiis fides habenda sit, hydropi diaphoreticis sæpius fauste succurritur. Balnea calida Styreana in usum dies octo continuos adhibita, Comitessam de KEDGLEWICKE *, uteri hydrope affectam, sanam fecerunt: Mundumque circumnaviganti DAMPIER, hydrope gravi laboranti, balneum arenæ calidum sanitatem reddidit. At in morbis hydropicis plerisque debellandis, diaphoretica viribus propriis parum prosint; ad fluida attamen, in telam cellulosam ob perspirationem obstructam effusa, nec in quantitate insigni adhuc collecta, expellanda, catharticis prius adhibitis, remedia hæcce plusve minusve sæpius valere possint.

---

* Vide Dr D. Monro on Dropsy.

Vesicatoria, incisionesque ferro factæ, remedia et incerta et fere semper periculosa sunt, ideoque ad ea vix ac ne vix quidem confugiendum est. Puncturæ incisiones solæ sunt e quibus in his affectionibus præsidium petendum est: at si mihi sententiam palam proferre liceat, ab usu earum semper prorsus abhorreo, quippe quæ gangrenæ lethiferæ ansas sæpius præbeant. Puncturæ in partibus maxime pendentibus neutiquam fieri debent, at paulo supra genua admodum paucæ et parvæ, spatio amplo inter eos interveniente, faciendæ sunt. Aperturis hisce fluidi serosi fluxus copiosus interdum elicitur; sæpius autem chirurgus frustra operam sumit. Et penis et scrotum aliquando maxime tument; tunc etiam ad puncturas interdum commode confugiendum est.

Paracentesin abdominis potissimum, a priscis temporibus ad ætatem nostram, medici laudibus summis accumulaverunt *. Sero in cavitatibus thoracis collecto, remediisque aliis omnibus incassum adhibitis, hoc unum per-

* Vide Hipp. Op. Chart. Ed. vol. ix. Cel. Lib. vii.

fugium, hæc una spes reliqua est; reque hoc modo ad extremum reducta, paracentesis thoracis sæpius forsan perficienda venit.

In ascite, abdominis paracentesis, spem salutis jucundiorem, ac in affectionibus hydropis generalis symptomatis stipatis, ægro præbet. Quo diutius autem ascites perstiterit, eo in angusto magis spes est. Quo citius igitur hæcce perficitur, eo melius de eventu sperare liceat; morbo etenim diutius perstante, viribusque ægro prorsus defectis, minime ei paracentesi succurritur, at gradus mortis potius properatur. Sequitur ut remediis propriis in ascite rite, at frustra, adhibitis, ægroque vires adhuc parum fracto, ad paracentesin abdominis quam primum confugiendum sit. Abdomen, operatione peractâ, multo citius ac antea tumidum fieri notatu dignum est; phænomeni hujusve rationem, partim ab relaxatione generali, ab evacuatione fluidi subita pendente, partim etiam ab pressura aquæ in ora vasorum exhalantium, remota, petamus oportet.

Remediis evacuantibus in morbis hydropicis rite adhibitis, vires ægrorum, diætâ nutriente medicamentisque tonicis, medicum etiam

sustentare oportet. Diebus scilicet in quibus remedia hydropi idonea, cathartica, nimirum, diuretica, &c. omittere placet medico, ad usum tonicorum rite confugiat. Ægri anxietate jactationeque inquietâ interdum laborant: in hoc rerum statu opiata indicantur. In hydrothorace orthopnœa sæpius urget, symptomatique huicce haustu ex æthere sulphurico, tincturaque opii confecto, obviam eundum est: levamen autem quod hoc remedium impertit, etiamsi sæpenumero subitum, minime diuturnum est, ideoque haustus sæpius repetendus est. Rebus ita sese habentibus, remedium de quo agitur sub initio dosibus minoribus adhibendum est, liberius autem postea pro re nata præscribatur; effectus etenim stimulorum diffusibiliorum ejusmodi partitis vicibus præscriptorum, multum imminuuntur. Ætheris sulphurici scrupulum, cum tincturæ opii guttis viginti, æger primo hauriat; affectione autem ingravescente, vel diutius perstante, haustus rite augeatur.

Aqua remediis idoneis remota, proclivitatem ad morbos hydropicos in systemate inesse, experiendo didicimus, proclivitasque hæcce

interdum tam insignis evadit, ut, causis exci-tantibus levissimis applicatis, morbus denuo redierit: hinc ratio patet quare, huic procli-vitati, medicamentis, regimineque idoneis ob-stare, medicus summis viribus nitatur oportet, ideoque causæ horum morborum remotæ om-nes sedulo evitandæ sunt.

Si quando hydrops e schirro hepatis origi-nem duxerit, affectio hæcce attentionem me-dici summam jure sibi primo vindicabit, dein remedia tonica cum diæta nutriente concoc-tuque facile conjuncta: exercitatio corporis modum non superans, quotidiana, sub dio temperate sereno, pro ægro plurimum faciunt.

Ab alvo adstricta æger rite caveat, si debi-litas, moribus pravis inducta, viam hydropi straverit, obstructionibus viscerum nullis co-mitantibus: æger hos mores pravos corrigat, vitamque rectius instituat. Sin autem ægro-tus consuetudinem ebrietatis quotidianæ nac-tus fuerit, stimulus solitus ei gradatim subdu-cendus est. Si liquoribus meracioribus olim deditus fuerit, pauxillo vini aqua diluti ani-mum recreare ei liceat; singulis attamen vici-bus, quantitas vini sumpta nonnihil diminua-

tur. Verum enimvero si spiritui ardentiori antea indulserit, cerevisia forti, liquore fermentato *Porter* Anglice dicto, utatur oportet; æger cibo animali vegetabilique famem expleat; vestem calidam induat; exercitatione corporis mediocri temporibus debitis utatur; conditionis ventris rationem sedulo habeat: præsidium e remediis tonicis, e cinchona, et aquis chalybeatis potissimum petat.

Si a diæta tenui, frigore, humiditateve corpori diutius applicatis, morbus originem duxerit, ægrotus causas excitantes hasce evitet, si ei ullo modo licuerit; victum scilicet parcum forsanque pravum, cum cibo magis nutriente facilique ad concoquendum, commutet; a ventriculo autem pleno sedulo caveat. Superficiem corporis indusio laneo tegat: in balneum calidum sæpius descendet, temperatura autem aquæ pro viribus ejus auctis minuatur, donec balnei frigidi patiens erit. Post balneum frigidum vini cyathum unum alterumve pro re nata, causâ systematis reactionem excitandi, sumat; eodemque consilio exercitatione corporis rite utatur. Causæ, quæ ægrum morbo antea implicuere, summa cum cura evitandæ

veniunt; denique, in alium quendam locum, cui JUPITER propitius auras gratiores dedit, migrandum est.

Si quando plethora ansam morbis hydropicis præbuerit, convalescens, corpus quotidie, grateque exerceat, catharticisque rite adhibitis potius quam sanguinis detractionibus. In hoc statu rerum, diæta lenis et nutriens concoctuque facilis adhibenda, vitaque ignava, otiosa et sedentaria prorsus fugienda est.

His propositis, sequitur, ut in morbis hydropicis debellandis, animum in causas excitantes prædisponentesque incumbere debeamus, quippe quia harum scientia, medicum ad indicationes curativas debitas formandas, sæpius accingere possit.

FINIS.